



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac  
Vita Existentes, Firmata**

**Stengel, Georg**

**[S.l.], 1645**

§. 1. Quæ à Deo sunt, suauiora sunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

eijs, cum fagis & magis nocturnâ vecturâ in cellas alienas, & ad dolia non sua peregrinantibus, etiam vinum Creticum in absynthium vertatur, & sit de vinea Sodomorum, Deut. 32<sup>o</sup> vinea eorum, & de suburbanis Gomorrhæ: uva eorum, uva fellis, & botri amarissimi. Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile. Amara enim conscientia, etiam ex Massico, aut Maronæo vino absynthiacum producit; vt etiam hîc congruat, quod de graphio Symposius Poëta dicit: Symposi in Enig<sup>ma</sup> Altera pars reuocat, quidquid pars altera fecit.

CAPVT. X.

*Aliunde desertis Dei seruis, etiam delicias apponi.*

§. I.

*Quæ à Deo sunt, suauiora sunt.*

**N**on Christo tantum, in deserto, Angeli ministrarunt, sed etiam ipse Christus Angelis, hoc est, hominibus in deserto, more Angelorum, uiuentibus. Paut enim quinq; panibus quinq; virorum millia; immò plura postea millia Eremitarum. Neque tamen putandum est, eos, quos etiam miraculosè sustentat diuina prouidentia, aut solo pane hordeaceo, aut sine

sine dulcissima iucunditate semper sustentari. Sicut Christus, præter panes, etiam pisces apposuit suis conuiuis, in deserto; ita subinde etiam alijs sanctis delicias fugientibus delicias facit. Docet enim Ferrariensis, ea, quæ à Deo fiunt immediatè, perfectiora esse his, quæ fiunt à Deo, mediante natura. Sicut ergo olim manna omnem suauitatem saporis continebat, quod nulli naturali cibo contigit; ita vinum in Nuptijs à Christo ex aqua factum, fuit præstantius quouis vino naturali. Pari pacto tradit Ferrariensis, panem in deserto, piscesque Christi potestate multiplicatos, longè fuisse gustus delicatioris, nobiliorisque, & habuisse vim cibi pariter & potus. Quod postea sapius contigisse, vt dulcedinem Dei gustarent homines, exemplis docebo delicatos; vt ne istam quidè habeant aduersus Deum excusationem, & quia gustum sequuntur, vel dulcedine trahantur. Hoc enim hamo vsus est etiam ille qui dixit: *Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus.* Quod ideò dicit, ait Emissenus, quia amor Dei, quantolibet ardore quesitus, etiam magis ac magis sitim inflammat. Vnde & de seipso dicit: *Qui edunt me, adhuc esurient; & qui bibunt me, adhuc sitient.* Gustent ergo, vt vide-

Psal. 33.

2.  
Serm. de  
Epiphan.

*Qui edunt me, adhuc esurient; & qui bibunt me, adhuc sitient.* Gustent ergo, vt vide-

videant suauitatem; edant, vt esuriant; bibant, vt sitiant fontem salientem in vitam æternam; quicumque suauitatem sequitur.

## §. II.

*Ficus Eremita, ac vna ab Angelo allata.*

Apud Palladium Helenopolitanum Episcopum, Posidonius Thebanus hæc ipse de se narrat: *Cùm habitarem in loco Porphyrite, anno vno, toto anno, nullum hominem conueni, non audiui sermocinationem, non panem tetigi, nisi si quando paucis uterer dactylis, & sicubi herbas inuenirem agrestes. Quo quidem tempore, cum mei panes, aliquando defecissent, egressus sum è spelunca, vt venirem in orbem terra habitabilem, & cum toto die ambulassem, vix aberam à spelunca duo millia. Cum ergo circumspexissem, video equitem militis habitum præferentem, habentem in capite galeam tiariferam: & cum coniectassem, eum esse militem, profectus sum vsq; ad speluncam, & inueni canistrum vuarum, & ficum nuper decerptarum: quod cum accepissem, letus redini ad speluncam, habens, duobus mensibus, cibos illos ad meam refectioem. En vt etiam obsonijs suos recreat cœlestis Pater! Ficus in paradiso, ad delicias creauerat (quod vel è folijs ficus intelligimus, quæ primi parentes consue-*

Palladius  
cap. 77.  
hist. Lau-  
siacæ.

runt,